

DISSE

INAUGURALIS MEDICA

DE

AETATE DIVERSA.

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI, NEC NON CLARIS-
SIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM, PRO DOCTORIS MEDICINAE
LAUREA RITE CONSEQUENDA IN ALMA AC CELEBERRIMA
SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA,

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

S U B M I T T I T

JOSEPHUS GÁBOR

HUNGARUS CSEJTHA-NITRIENSIS

DOCTOR CHIRURGIAE.

Theses adnexae defendantur in Universitatis Palatio ma-
iori die 30 Julii anni 1836.

BUDAE

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

SPECTABILI PERILLUSTRI

A C

GENEROZO DOMINO
DOMINO

LAURENTIO MARCZIBANYI
DE PUCHÓ ET CSOKA.

INCLYTI COMITATUS NITRIENSIS. SUBSTITUTO VICE COMITI,
ET COMPLURUM II. COMITATUUM TABULAE JUDICIARIAE
ASSESSORI. etc. etc.

V I R O
NOBILITATE, ERUDITIONE, HUMANITATE
IN SIGNI
FAUTORI MUNIFICENTISSIMO
IN
PERENNE GRATI ANIMI
ET
PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS
MONUMENTUM
PRIMITIAS HAS LABORUM SUORUM
D. D. D.

devotissimus auctor.

Ea est corporis nostri conditio, ut ex minima spermatis molecula solius sui Organismi viribus increscat sensim in corpus, ducentas interdum etiam libras pondere aequans. Hoc ubi obtinuit, deficit rursum pedetentim in annos ita, ut vascula minima magis semper magisque obliterentur, et transitum liquidis abnegent, usque dum obturatis etiam eis vasculis, quae ad vitam conservandam sunt necessaria, Organismus operationibus suis amplius refungi nequeat ideoque penitus subsistat.

Dum hoc modo crescens decrescensque corpus humanum nobis considerandum objicimus, videmus in eo clarissime, quomodo in primo ejus incremento vascula ipsius minima successive explicitantur et prolongentur, atque simul firmitatem acquirant. Post supremum autem incrementi gradum observamus, quod vascula nervosa, et arteriosa minora sensim reserentur ac agendi vim perdant eo magis, quo plus recedunt ab hoc incrementi apice, ligamenta et cartilagines osseam substantiam induunt, ossa vero spongiosa pedetentim collabuntur, inde acumen sensum omnium memoriae judiciique minuitur: corpus nutat antrorum mentum siue maxilla inferior attenuatur; retractis gingivis osseis dentium denudantur radices; totumque corpus exarescit. — Hinc evidens est maximam intercedere differentiam corporis humani inter aetatem diversam.

Primae, quae in homine recenter concepto volvuntur corporis partes, sunt cor, et caput. In his prima nascitur humorum circulatio, in his figitur principium movens, natura videlicet tum Helmontianorum, tum Methanicorum, quod nos Organismiprimordia nominamus. Postquam partes istae satis explicatae sunt, explicantur pedetentim caeterae corporis quoque. Hinc non mirum quod homo tanto majus habeat Caput quanto propior est suaे origini. Verum quid, significat excessus iste capitinis supra reliqua corporis membra aliud, quam quod corporis humani partes eo minorem habeant ad se mutuo proportionem, quo is minus recessit a sua origine: neque antea debitam nanciscatur proportionem quam omnes prorsus corporis partes exacte sunt evolutae. sive post pubertatis primo annos.—

Mucosa sunt humani corporis rudimenta, plus itaque fluido, quam solidis similia. Haec tenerima utique pedetentim per ingressum fluidorum extenduntur et explicantur, usque dum omnia penitus sunt evoluta: sub hac autem vasorum minimorum explicatione cuncta vascula in dies magis roborantur, et firmantur. Ubi porro vasa omnia sunt explicata, et humoribus repleta, quod circa medianam hominis aetatem accidit minora eorum per ipsum continuum humorum motum sensim concrescant, magis magisque ad terminum usque vitae adeo, ut homo, qui marasmo senili moritur, ob nimiam pereat rigiditatem corporis, quod totum mucosum fuerat in sua origine. Exinde palam est corpus huianum tanto plus abundare, humoribus respectu sui corporis, quanto est recentius: et vicissim tanto plus in eo excedere solida quanto plus abest a suo exordio: adeoque strictum aequilibrium in homine non esse unquam, nisi is medium suae vitae teneat aetatem: atque adeo, quo is plus di-

stat ab hac aetate media, eo minus accuratum est aequilibrium inter solida corporis ipsius, et fluida —

Strictum appellavi propterea hoc mediae humanae aetatis aequilibrium, ne quis putet, me existimare quod in juvene aut sens aequilibrium non sit ullum, aut quod Medicus conari debeat, ut hoc aequilibrium in unoquaque homine inducatur. Non minus ego appello aequilibrium quod est in pueri aut sene, licet in illo humores superent vasa, in isto vero illos excedant solida, quam aequilibrium in viro. Hinc istud voco strictum quia est accuratum; in caetera vera hominis aetate dico esse quidem aequilibrium verum, at non strictum, sed tantummodo respectivum, et cuivis aetati competens. —

Quando igitur turbatum statuam aequilibrium in homine quaeret fortassis ex me aliquis? Duplici, respondeo, modo everti posse aequilibrium, latet neminem: per abundantiam scilicet humorum, vel per eorundem defectum. Quotiescumque nempe vasa corporis in aetate quavis, tam in pueri, viro, quam in aetate proiecta, repleta sunt humoribus; ast non farta, rectum in ejusmodi corpore existit aequilibrium, excedant humoris solida vel ista illes nihil officit. — Ut primum autem ea est humorum abundantia, quae Organismum gravat in operando ablatum est aequilibrium; item si tanta sit humorum penuria ut per istos cuneta corporis vaca non satis dilatentur. — Quum igitur puer copiosissima habeat vasa, quae cuncta repleri debent humoribus; et ex opposito senex pauca pervia, in illo copiosi in hoc autem modici humores aequilibrabunt solida. Haec de aequilibrio: caetera tractatus alter referet.

Non vasa tantum modo corporis humani mutationem admittunt per aetatem, sed ipsa etiam liquida: ita, ne-

que aliter humoribus nostris evenire posse, perspicit quisque, dum advertit, quod vasa eos elaborent, ideoque istos magis semper debere esse elaboratos in corpore, fortibus vasis instructo; quam in altero, cuius vasa sunt tenera. Cum igitur homo tanto minora, tantoque magis tenera habeat vasa, quanto vicinior est ortui suo, evidens est, humores, qui semper diametro respondere debent, capacitati vasorum coërcentium et transmittentium esse tanto quoque tenuiores tantoque minus compactos; minus alcalescentes quanto homo junior est: et e contrario, tanto crassiores, magisque perfectos, quanto is est propinguior aetati mediae. — Transacta hac aetate humores quia vascula minima corporis sensim obliterantur, reliquaque vim, agendi in fluida pedetentim amittunt, atque liquor omnium maxime solvens et immutans, nerveus videlicet, etiam deficit, permanent quidem diametro crassi, ast ob perennem successivum accessum chyli non satis elaborati, fiunt simul spissi mucosi, ac frigidi; ideoque quo homo magis abscedit ab aetate virili, eo crassiores, spissiores et frigidiores habet humores. —

Humores corporis nostri a vasis suis coërcentibus multum constricti, illuc per leges hydraulicas ruere coguntur, ubi minor est resistentia in corpore. Quum autem in homine usque ad pubertatem caput sit proportione majus, quam partes caeterae corporis, et pulpa simul cerebrorum, eorumque cortices sint molles facileque cedant prementibus humoribus, consequitur, sanguinem in homine ante pubertatis annos debere plus determinari versus caput, quam in alias corporis ejus partes; ad quod non parum confert ipsa humorum major tenuitas in aetate puerili, majorque mobilitas. — Quod autem humores inquilini reipsa etiam plus ferantur in caput, quam in alias corporis partes annis pubertatem

antecedentibus, declarant frequentiores his annis narium haemorrhagiae, color major faciei, et crebriores capitatis dolores ante, quam post pubertatem. —

Posteaquam cranium osseam penitus induit substantiam, quin se amplius distendi sinat, quemadmodum accidit circa annum decimum sextum aetatis, humores, qui hucusque propellebantur ad caput, aliorum se iam convertere adiunguntur, Quorsum autem? Ordine, a supra Providentia constituto; fit, ut circa idem tempus in mulieribus evolvantur penitus omnia vasa uterina et generationi dicata, unde liquida corporis, quae hactenus suam servabant motus directionem ad caput, nunc ruant in hoc molle, distendens facile, neque nimium pressum viscus. Non mirum proinde est, quod puella, quae frequenter hucusque manabat sanguine e naribus: eum manare penitus destituat, ut primum menses prodierunt. Virum quod attinet, explicantur quidem partes ejus quoque genitales hoc pubertatis tempore, devolviturque non modicus etiam sanguis in haec corporis loca, ast non tantus, quantus in sexu muliebri. — Hinc minuitur quidem humorum determinatio ad caput in juventine pariter virili post annos pubertatis, verum pro parte tantum modo: non cessat ea propter iste ab omni expulsione sanguinis e naribus, veluti cessat puella, sed continuat eum superfluum, quem conficit, eadem ad huc via eliminare. —

Quod si post annos pubertatis vasa magis sensim roborantur adeo ut tenera illa juventutis laxitas et pinquedo abscedat, humores, qui antea laxioribus his vasis continebantur, recedunt introrsum visceraque, trunci corporis cavum repletia, occupare necessitantur. Quum autem inter haec viscera sit uterus in mulieribus, et pulmones in viro plus ceteris dilatabiles, et

maxime cedentes, existimare licet, sanguinem in aetate media ferri, et maxime tendere in sexu virili in pulmones, (quandoque, sed rarius in muliere quoque, quando videlicet uterus multum rigidus est et omnem allatum cruentum in sua vasa recipere negat). Haec igitur est ratio, quare Hemoptysis, Phtysis, ceterique pectoris morbi aetatem potissimum medium. vel illi proximam adorit soleant. —

Quando homo repositis annis aetatis mediae senectutem ingreditur, rigescunt semper magis vasa, (quemadmodum paulo antea memineramus, et ipsius carnis animalium, ultra hanc eorum aetatem occisorum, tenacitas demonstrat) humoresque fiunt semper spissiores: ex quo evidens est, quod liquores corporis, qui in Aortam descendenter labuntur, et in vasa pedum pervenient, cum difficultate ex eis referantur rursum ad cor, idque non tantum ob humorum spissitudinem majorem, sed etiam propter deficiens corporis exercitium et muscularum motum, qui antea multum adjuvit redditum sanguinis ex partibus inferioribus ad cor. En ratio haec morrhoidum, tumorum ulcerumque pedum, et in aetate descendente. — Merito dicimus igitur, quod humores in senibus determinentur ad inferiores corporis partes. —

Cum per aetatis incrementum transacta jam media vasa plus semper rigescant, fiantque membranae arteriarum musculares, sensim ad sui contractionem, et humorum propulsum ineptiores, nervique moventes, ex comparatione cum nervis sensuum facta, plus sint obtutati humores quoque evadant continuo spissiores, minusque ea propter nobiles: consequens est, istos tanto lentius debere moveri per vasa corporis, quanto homo fit aetate major. Ita etiam neque aliter est. —

Quo enim homo est lunior et ortui suo vicinior eo frequentiorcm habet pulsum; et vicissim, quo est senior eo vibrat iste tardius. Verum nec opus est, ut humores tanta cum celeritate decurrant in sene cum quanta vadunt in puer. Quoniam sunt copia multo minori respectu sui corporis in scene, quam in puer juvēne, aut viro. Hinc liquet, quod aetas inducat varietatem in ipsa quoque fluidorum motus celeritate.—

Crescit homo ex minima spermatis molecula per spatum novem mensium, quo continetur in utero ad magnitudinem corporis, libras quindecim circiter pendentis. Posteaquam homo extra uterum vitam ducit, annis jam quasi quinque indiget ad obtinendas alias quindecim ponderis libras; plures porro his annos vivere debet si novas, iterum quindecim libras corpori suo addere velit, et sic amplius. Exinde colligimus manifeste, quod homo tanto velocius sumat corporis sui incrementum, quanto est propior ortui suo; et vice versa, quanto homo est senior, eo minus crescat. En rursus alia, quam aetas causat, Organismi mutatio.—

Ex hac mutatione elucet hominem eo copiosiore indigere alimento, quanto est junior. Nihil mirum igitur, quod vir plus comedat, quam senex; plus juvenis viro; plus iterum juvēne puer, plus denique isto infans, relate utpote semper ad corporis magnitudinem. Cum autem vis digerens ventriculi ob vasorum teneritudinem sit admodum debilis in prima, et ei subsequente hominis aetate. accidit ut, quo homo est corpore tenuiori, et in vita recentior, eo minus ast eo quoque frequentius cibos depositat, ac manducet. Inde est, quod vir prandio, etiam sine coena, contentus sit in diem integrum, non autem juvenis, qui jentaculum quoque habere debet, puer autem vorat integro pene die, ast infans ne-

que nocte parcit nutrici, ubera petens; queis famem compescat. —

Dum ista perpendimus, clare videmus, quam perperam agant genitores illi, qui interdiu pueris cibos denegant, sufficientemque nutrientium copiam ipsis subducunt. Patet item, quam inique illi pariter, qui sbole suam compellunt ad edendum non esurientem, dum mensae assidetur. — Quo enim homo minus abest a sua nativitate, eo majori nutrimentorum copia opus habet: cum autem vis ventriculi digerens sit talis, qualis est aetas, debilis videlicet in aetate tenera, et simul capacitas ventriculi admodum parva, in aperto est, infantem et puerum copiose et saepius interdiu esse alendos, nunquam autem ad cibum sumendum compellendos.

Praeter notabiles istas, quae per decursum vitae nostrae contingunt tam in vasis, quam etiam in fluidis et motu eorum mutationes, sunt aliae pariter isti multo magis subitaneae. Celsus vult hominem subito permutari jam circa quadragesimum aetatis suae diem, deinde mense septimo tum anno septimo, maxime vero circa pubertatem. His qui ultiro procedunt, quolibet septenno per totam fere ejus vitam hominem mutationem aliquam subire arbitrantur. Verum mutationes istae omnes non sunt tanti momenti, si pubertatem excipias, ut multum ad medicinam facerent; sufficiat ea propter eorum meminisse, usque quo certiores fiamus, dignas esse animadversu cunctas has variationes corporis, si tamen revera contingant. —

Mutationes organismi, quae eveniunt circa pubertatem, sunt tam dignae commemoratu, ut etiam necessariae. Si quidem humores corporis nostri, qui eo us-

que determinabantur, omnes ad caput, post pubertatem jam appetuntur a partibus generationi dicatis, magis adhuc in puella, quam puero.

His accedit, quod masculo succrescat barba, pereat vocis clangor, fiatque vivacior et audacior. Pueri prodeunt menstrua, multisque saepe obnoxia molestiis, quarum nullam sentiebat antea; recedunt autem pene omnes illae, quae prius vexabant corpus etc. Tanta, ut verbo exprimam, inducitur mutatio corpori humano cuiuslibet sexus pubertatis temporibus, ut ipse jam Hipocrates ex observatis pluribus palam asseruerit, morbos connatos pertinacissimos, inter quos est Epilepsia etc. per mutationem, quae pubertatis tempore supervenit, saepe deleri, et extirpari. — Huic insuper adjungit, quod si praefati morbi atroces per hanc mutationem non fuerint aboliti, ad finem usque vitae, cunctis resistentes remediis, permanere soleant.

Subitanea haec mutatio videtur esse quoque causa, quod utriusque sexus juvenes saepenumero post annum pubertatis brevissimo temporis spatio majus capiant sui corporis incrementum quam antea ceperint per plures annos. Velox istud incrementeum adscribitur communiter morbo febrili, qualis non raro evenire solet post subitaneam hanc pubertatis mutationem, putaturque istam vasorum extensionem et corporis incrementum factum esse per auctum in morbo humorum motum: Verum cum incrementum hoc non contingat in ipso morbo, aut statim post morbum, sed tardius; atque etiam, quam multis sanis pariter eadem accidat velox corporis augmentatio, elucet, citam hanc augmentationem subitaneam, pubertatis tempore evenire solitam, organismi permutationi esse adjudicandam.

Subnectenda est his mutatio, non quoque mediocris, quae mulieribus lautius pastis frequens est tempore illo, earum aetatis, dum menstrua fluere desinunt, sanguis enim, qui singulis mensibus profluebat ex utero, nisi in foetus transiverat nutrimentum in gravidis, retinetur, atque ad vasa haemorhoidalia, aut hepatis, intestinorum, mesenterii, etc. deponitur, plurium et diversorum morborum genitrix; vel descendit nonnunquam etiam ad vascula pedum; ubi mora in ichorem mutatur ac ulceram mali moris causat.

Quidquid huc usque attulimus de aetate, id omne demonstrat, singulares contingere mutationes in organismo per processum aetatis humanae. — Nihil est igitur, quod majores, frequentiores, ac certiores induceret mutationes organismo, quam aetas; siquidem omne prorsus, quod in nobis est, mutatur per aetatem: ita humores, ita vasa, ita motus, ita liquidorum determinatio, ita denique animus ipse. Cuncta ista variant cum aetate: singula proinde aetas suum proprium quasi habet organismum; singula fere permotat eum adeo, ut contrariam pene adipiscatur conditionem, atque antea habuerit, —

Dum potestatem organismi in alias Potentias scrutamus per gradus aetatis, deprehendimus eam in qualibet omnino aetate diversam. Infans enim faciliter perfert calorem aeris ambientis majorem, quam vir faciliter usque digerit lac, quam vir senex. Organismus in pueri aut juvenci vincit indolem fructuum hordeorum, et spissitudinem ciborum farinaceorum ocyus multo, quam in viro aut sene. Vasa corporis robusta viri concoquunt ingesta tenacissima, qualia organismus non ullo alio vitae tempore digereret. — Lentus in senio humorum motus expedit stimulantia, aromatica, quibus senes recre-

antur; nocent vero eadem homini in alia quacunque aetate constituto. Possunt item senio confecti longe magis, quam unquam antea, perferre calorem atmosphaerae, et sic porro.

Quodsi potestatem, et effectus naturae humanae ex-pendere velimus; juxta decursum aetatis, reperimus eam non minus; quam organismi, variam in diverso aetatis gradu. Nam cum natura sit conservatrix vitae et sanitatis hominis, cui data est, atque conditio organi-mi, et corporis sanitas in qualibet aetate sit peculiaris, et dispar a sanitate et conditione corporis in aetate alia, evidens est, Naturam aliam debere adhibere curam, conservandae sanitatis in infantibus, aliam in aetate puerili, aliam in juvenili, aliam in virili, aliam denique in aetate senili, adeoque secundum aetatem variam alia depositare commoda, et utilia corpori; aliaque pariter antevertere, quae nocere possent. Si quidem communiter accidit; ut, quae puero prosunt, noceant viro, aut seni: et viciissim, quae viris sunt nutrimento, fiant ve-nena in alia aetate ingesta et sic demum. Natura igitur, tamquam Tutrix sanitatis cuiuslibet individui, de-bet se accomodare organismo, et ejusdem conditioni; in quavis proinde aetate cogitur peculiares exerere ef-fectus. — Deinde, cum natura operetur per ipsum or-ganismum, iste autem secundum aetatis progressum sit diversissimus, clarum est, naturae potestatem non pos-se esse nisi variam in qualibet aetate. —

Effectus quos a natura ipsa, et ab ea unica tam-quam a solicita illa vitae et sanitatis nostrae Tatrice, derivare fas esse, videtur, se manifestant illico post unionem animae cum corpore, quando naturam huic uni-oui simul adjungi diximus a Deo Creatore. — Vix igitur creata est anima; vix corpori sociata; vix unioni-

addita est natura, jam se ista praesentem reddit. Utpri-
mum inquam animatus est foetus, se movet diversimo-
de. Motus isti non possunt repeti ab ejus organismo,
quoniam musculi, qui agunt in hoc motu, sunt animae,
et non organismi potestati subjecti; hinc ab homuncio-
nis anima essent potius repetendi. Verum neque huic
cum aequitate attribui possunt, quia non est is adhuc
capax ullius actionis utilis, qualis est motus musculo-
rum in foetu, quo motu humores istius commode adju-
vantur in suo decursu. Naturae ergo hicce effectus est
adjudicandus. Alteram naturae actionem in foetu posi-
tam esse, existimo, in situ ejus singulari, maxime
commodo, et maxime apto ad facilitandum futurum par-
tum, qui est pectore antrorum verso. Nisi enim natu-
ra dirigeret embryonem, in liquoribus involucrorum ad
huc natantem, dum pervenit ad eam magnitudinem, ut
jam quiescere debeat, et se ad futurum tandem egres-
sum ex utero praeparare; non tam generalis optimus
hic foetuum situs deprehenderetur. — In quantum dein
natura partum adjuvet, disquirere, quia multa verba
postularet, operis inhibet compendium. —

Postquam enim ex utero nascitur, qui antea in utero nu-
triebatur instar plantarum, per funem videlicet umbili-
calem, tamquam per radices, per quem successive par-
cissima semper copia nutrientis liquoris ferebatur, cum
sanguine ad foetum liquorisque per vasa matris jam op-
time elaborati; nunc jam ipse metu nutrimenta deposita
ipse deglutire ipse digerere, et ipse metu denique ea-
dem prins cruda in suum corpusculum convertere debet.
Quum vero infans sit, veluti aetate ita etiam iudicio
novissimus, neque sciat, dum esurit, quid ipsi desit,
neque nutrimentum cognoscat aptum, neque id depositum
modum intelligat, neque cibum deglutire noverit, na-
tura ei auxiliatur est necesse: verum nec deest haec

suo adjuturio. Quamprimum enim infans lucem conspicit, jam sentit stimulum famis; jam scit; docente natura, sugere ubera; scit eadem monente, et intelligit ipsum modum quo sugere debeat. A natura itaque est, quod infans recenter genitus digitum matris ori suo immissum attrahat famelicus, papillam uberis esse, existimans. Cibum deinde, cum sit loquela destitutus, fletu, compellente rursum natura, petit a matre, quotiescumque esurit. Desistit ob hanc eandem, naturam intelligo, a fletu satur. Dum porro cibo bene refectus est infans, movet cuncta sua membra, sollicitante rursum natura, ut debilis adhuc cordis et arteriarum vis adjuvaretur. — Exinde patet, quam inique agant matres illae, quae infantes fasciis perpetuo constrictos esse volunt, salutarem eis corporis motum denegantes. —

Dum infantem, annum circiter natum, consideramus, observamus, quod sub dentitione os continuo mādeat, saliva, quodve omne, quidquid manibus prehendit ori suo admoveat; et, si nihil manibus teneat, eas ipsas in pugnum contractas in os suum deferat, ut contra eas premere possit gingivas, denti obstantes, sicque transitum istius per divisas gingivas facilitaret. Quodsi dein aliquod videt, quod habere cupit, cum verbis voluntatem suam explicare nequeat, manibus primo, toto postea etiam corpore tendit in rem desideratam: ē contrario autem, dum aliquid aversatur aut metuit, faciem primo firmatis oculis postea reliquum pariter corpus amovet abinde etc. Effectus hi et similes plures non unquam organismi, non item animae, opinor, esse possunt: reliquum est igitur, esse effectus naturae.

Vidimus in capite omnium primo, quod naturae proprietates in infante sint majores et plures, quam in homine adulto, atque decrescant pro ratione, qua in-

crescit aetas cum judicio. Vult nempe Deus, ut homo ratione ductus, non vero amplius a natura compulsus, veluti compelluntur animalia irrationalia, suscipiat actiones honestas, utiles et in vitae sustentationem necessarias. Ad ultro ea propter non reliquit supremus conditor alias naturae proprietates quam solum eos, quies homo concitetur ad actiones, necessarias, quae ratiocinii vim excedunt. Licet itaque divina dispositio multum subducat pedetentim naturae humanae cum aetatis et judicii incremento, non demit ei nihilominus tamen proprietatem illam necessariam sive talem, quam ratio non potest resarcire; quae autem sint hae relictæ homini adulto proprietates naturales, constat partim ex superioribus, partim constabit e sequentibus. —

Non ita porro videtur Divinus rerum Gubernator procedere cum naturae proprietatibus in aetate hominis deficiente, quemadmodum procedit in aetate succrescente, ut scilicet pro ratione, qua judicium sensim iterum minuitur in senectute, proprietates rursum augerentur naturae, veluti deficiebant incremente ratiocinio. Constituit potius Deus ut homo superatis multis vitae annis, tandem ex hac decedat, idque placide, quin multum repugnet natura, quod utique evenire haud posset, si rursum naturae potestas incresceret labente judicio. Remittentibus autem ipsis naturae proprietatibus cum ingenii viribus, atque recedente illo diu vivendi desiderio; homo tandem placide, et absque turbis vivere desinit.

Anima quia vinculo arctissimo est reclusa corpori suo, neque propterea quidquam operari potest, nisi per organa evidens est, eam nihil operari posse imperfectis adhuc in infante, vel destructis jam in senectute organis in sui obsequium destinatis. Non valet igitur quid-

quam agere, deliberate videlicet, in foetu; parum adhuc in infante; abinde vero plus semper in dies prout organa corporis ejus magis magisque explicantur, roborantur, et firmantur. Postquam autem organa supremum suum perfectionis gradum sunt consecuta, et deinde post hunc sensim deficiunt, animae vis pariter est in suo supremo, et post illum per gradus minuitur rursus ita, ut homo tandem fiat judicio similis puer, sive secundo puer. —

Roborari dixi et firmari debere organa ut anima plenis viribus operari queat. Non intelligo isthic organa sensuum externorum, sed internorum, sive organa judicii. Adplenum enim ceterorum organorum usum tam externorum sensum, quam etiam memoriae, sufficit ea esse integra, et penitus evoluta, qualia sunt jam in aetate juvenili, aut etiam puerili. Ast ad rectum et constans judicium ferendum, non sufficit ea esse penitus explicata, sed necesse est insuper ut sint firma simul, et per aetatem et per constans judicij exercitium roborata, et quasi elaborata. Habeat ea propter juvenis sensus externos acutissimos; habeat memoriam optimam; verum si ad judicij acumen descendatur, ibi, quidquid demum sibi iste de sui ingenii perspicacitate imaginetur, haesitabit. —

Complaceat sibi juvenis in judicando adeo, ut ratiocinio viris cedere renuat, sapientis firmatis per aetatem organis internis, delictorum que et actionum, quas summae nunc sapientiae genituras esse putat, eum poenitebit.

Quantam diversitatem virium quas anima habet in corpus imaginando et gratas aut ingratas ideas sibi repraesentando, attinet quo ad aetatem diversam dico.

Animam per ideas metus gaudii et spei plus posse in corpus in aetate juniori, quam in ulla alia per ideas vero irae, amoris, et tristitiae plus valere in aetate demum senili deficit pedetentim omnis vis imaginationis, cum omnibus reliquis Animaे proprietatibus et potestate. —

Quanta porro sit, heterogeneorum potestas in corpus humanum pro varia ratione aetatis, facile, opinor, intelliget quisque, qui conditionem corporis humani, cuivis aetati propriam, atque simul vim heterogenei, de quo particularis antea est quaestio rite expenderit. Perspicit, inquam omnis, dum animadvertis, quod vas in infante, puer et juvēne sint admodum tenera, ideoque irritabilia valde humoresque celeriter moveantur, et reliqua hucusque recensita heterogenea illa corpora maximam habere vim in corpus juvenis et pueri, quae multum irritant, inflammant, et exsiccant; minimam vero acescentia, humectantia etc. et sic de aetate media atque de senectute. —

Ex hactenus dictis satis patere existimo, cur infantibus prosint lac, ora et cuncta ex regno animali petita; obsint autem farinacea acescentia. Cur ex adverso acescentia et humectantia prosint pueris et juvenibus; noceant autem senibus. Cur motus corporis multos conducat puer et juveni, noceat vero in aetate virili. Cur perperam agant Genitores, dum pueros ad atrocia Studia compellunt. Cur ad scientias judicij ineptus sit puer, aptus autem addiscendis memoriae studiis. Cur infans atque senex sint vestibus semper sollicite muniendi adversus frigus minime vero juvenis. Cur senibus prosit alvus stricta, et juvenibus laxa. etc. etc.